



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorvm Evangelicorvm D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

29. Procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

facere; vt ostendat vnam esse non tantum voluntatem, sed & operationem.

26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.*

Ostendit his verbis Christus eiusdem vitæ seu naturæ se esse cum Patre. Si enim alia esset vita Filij, alia Patris, non haberet vitam in semetipso sicut Pater habet, sed vita eius esset participata atque ab alio dependens, vt optimè hoc loco contra Arianos notauit Chrysof. homil. 38. Quia tamè alius est Pater, alius est Filius, & licet in semetipso non tamen à semetipso Filius vitam habet, propterea dixit, *Dedit ei Pater vt vitam haberet in semetipso.* Nulla creatura vel à semetipso vitam habet, quia à Creatore illam accepit; vel in semetipso, quia ab alio pendet, & perpetua Dei conseruatione indiget. Quod autem dicitur, *Dedit Filio habere vitam, &c.* dupliciter à Doctoribus intelligitur, & dupliciter est verum. Dedit Filio quoad diuinitatem per naturalem generationem ab æterno, vt August. tract. 22. in Ioan. & Chrysof. loco citato exponit. Dedit Filio quoad humanitatem per vnionem ad Verbum in tempore, vt Cyrillus exponit lib. 2. cap. 144. Sed prior propositio magis ad literam est, quia dare humanitati per vnionem ad Verbum, totius Trinitatis est: sed dare quoad diuinitatē, solius Patris est, de quo sic Christus loquitur. Ex quo etiam Caluini glossa refellitur, qui vt omnia præcedentia in fauorem Arianorū ad Christi diuinitatem nihil pertinere voluit, sic & hæc verba inuertere conatur. *Vitam* (inquit) *in se habere Deus dicitur, non tantum quia propria virtute & intrinseca solus viuat, sed quia vita plenitudinem in se continens, omnia viuificet.* Deus itaque vitam apud se occultam habere nō lens, transfundit in Filium, vt ad nos manaret. Hinc colligimus, hunc titulum ascribi Christo quatenus in carne manifestatus est. Hæc, inquam, omnia ex eo refutantur, quod Christus de vita loquitur quam Pater Filio dedit: quod non nisi de diuina generatione intelligi potest.

Christi  
diuinitas

Caluinus  
Arianis  
fauet.

29. *Procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.*

Docet hic locus vitæ beatæ consecutionem non secus à bonorum operum quam à fidei necessitate pendere, & vt prius fidem, sic hinc vitæ puritatem ad salutem esse necessariam

Bonorum  
operum  
necessitas.



sariam docet. Contendit omnibus modis hunc locum cludere Calvinus. *Factores* (inquit) *bonorum operum* hic dicuntur, quos Paulus illorum studiosos aut zelotas vocat. Tit. 2. Nempe dicit ibi Paulus, *Christum dedisse semetipsum ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hos sectatores studiosos & zelotas bonorum operum vocat hic Calvinus, quia studio quodam & desiderio bene viuendi afficiuntur, sed huius desiderij ac studij effectum non consequuntur, sicuti de ipso Paulo exponit, ad illa verba: *Non quod vobis bonum hoc ago.* Hoc est Calvinianæ hodie sectæ mysterium, omnes apud illos pios ac iustos coram Deo esse, qui studium pietatis non deposuerunt, tamen flagitiosè viuunt; & qui in profundum impietatis demersi non sunt, iuxta illud: *Impium quum in profundum venerit, contemnit.* Quare & hic subiungit Calvinus. *Sed estimatio hac ex paterna Dei indulgentia pendet, qui gratuitò probat quod reijci merebatur.* Sic ipsa ista iustorum vult esse prorsus impia, & quæ reijci meretur studio tamen rectè viuendi illos affici debere. Sed contra hanc impiam sententiã, tenenda sunt Christi verba. *Qui bona operantur*: de ipsis operibus bonis, non de studio inani bonorum operum, loquitur. Deinde si ipsa bona opera reijci merentur, quomodo distinguuntur à malis operibus, quæ à Deo reijciuntur, & quæ qui agunt, in resurrectionem iudicij, id est, damnationis, procedunt? Sed impiam suam glossam probare contendit Calvinus. *Neque enim* (inquit) *de salutis causa tractat Christus, sed tantum electos à reprobis sua nota discernit.* Ita etiam hanc Calvinii glossam dicemus & nos: quum Christus dicit, *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam*; de salutis causa non tractat, sed tantum electos à reprobis hac nota dei discernit. Sin verò fidei vitam æternam promittens Christus, causam salutis posuit; dubitari non debet, quin & hoc loco bonis operibus vitam beatam promittens, causam quæque salutis posuerit. Sed quare hanc notam, ut vult Calvinus, Christus hic posuit, non autem causam? *Idèd hoc facit ut hortetur.* Et nos certè fidem qua nos iustificat, cum studio bene viuendique viuendi coniunctam esse non negamus: sed tantum iustitiam salutis esse non negamus. *Idèd hoc facit ut hortetur.* Et nos certè fidem qua nos iustificat, cum studio bene viuendique viuendi coniunctam esse non negamus: sed tantum iustitiam salutis esse non negamus. *Idèd hoc facit ut hortetur.* Et nos certè fidem qua nos iustificat, cum studio bene viuendique viuendi coniunctam esse non negamus: sed tantum iustitiam salutis esse non negamus.

Rom. 7.  
Iustitia  
Calviniana  
mysterium.  
Fruer. 17.

Opera bona salutis causa.

Christum non hortatur tantum, sed iubet bene operari.



opera damnat. Si non nisi hortatur ad bona opera, quomodo damnat facientes mala? Rursus fides quæ iustificat, non solum cum studio bene viuendi est coniuncta, sed etiam cum ipsa bona vita, bonaque operatione: iuxta illud Pauli, *Fides qua per dilectionem operatur*. Fides sanè Calviniana non operatur dilectionem, sed studium operandi docet absque effectu, ac per hoc non est fides Euangelica quam Paulus commendat. Piorum quoque omnium fiducia non in sola Dei misericordia quiescet, sed etiam in bona conscientia: iuxta illud Ioannis; *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus apud Patrem, &c.* Qui cum mala conscientia de Dei misericordia fiduciam concipit, non cum fiducia, sed cum præsumptione ad Deum accedit. Vnde iterum Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. At minus est nosse Deum, quam in eo fiduciam habere. Et rursum: Nunc filioli manete in Christo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam; & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Quid est autem manere in Christo? Explicatè docet in sequentibus: *Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.* Si ergo ille demum fiduciam habet, & non confunditur in aduentu Christi, qui mansit in eo, mansit autem in eo qui mandata eius seruauit, inuictè contra Calvinum sequitur, non in sola Dei misericordia, sed in mandatorum obseruatione, hominis iusti fiduciam quiescere. Nam & illorum quoque obseruatio ex Dei misericordia nascitur, quæ gratiam dedit qua seruarentur. Quare Paulus hac usus bonorum operum fiducia ita scribit. *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die (sanè, quando procedet, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ) iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & illis qui diligunt aduentum eius: id est, qui ita vixerunt in sanctitate & iustitia coram Deo, ut venientem Iudicem non timeant condemnaturum, sed diligant ut remuneraturum.*

*Gal. 5.  
Fides Calviniana non est fides Euangelica.*

*1. Ioan. 3.*

*1. Ioan. 2.*

*Fiducia in bonis operibus.*

*2. Tim. 4.*

44. *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo solo est non queritis?*

Vera huius loci expositio duo nos docet. Primum, hypocrisis & falsam pietatis affectationem maximum esse obstaculum ne quis in Christum credat, fide videlicet

*Hypocrisis magnum fidei obstaculum.*